

[1] Ratiō utrīque partī tempus dat, deinde advocātiōnem et sibi petit, ut excutiendae vēritātī spatium habeat: īra festīnat. Ratiō id iūdicāre vult quod aequum est: īra id aequum vidēri vult quod iūdicāvit.

[2] Ratiō nīl praeter ipsum dē quō agitur spectat: īra vānīs et extrā causam obversantibus commovētur. Vultus illam sēcūrior, vōx clārior, sermō līberior, cultus dēlicātior, advocātiō ambitiōsior, favor populāris exasperant; saepe īnfēsta patrōnō reum damnat; etiam sī ingeritur oculīs vēritās, amat et tuētur errōrem; coarguī nōn vult, et in male coeptīs honestior illī pertinācia vidētur quam paenitentia.

[3] Cn. Pīsō fuit memoriā nostrā vir ā multīs vitiīs integer, sed prāvus et cuī placēbat prō cōnstantiā rigor. Is cum īrātus dūcī iussisset eum, quī ex commeātū sine commilitōne redierat, quasi interfēcisset quem nōn exhibēbat, roganī tempus aliquid ad conquīrendum nōn dedit. Damnātus extrā vallum prōductus est et iam cervīcem porrigēbat, cum subitō apparuit ille commilitō quī occīsus vidēbātur.

[4] Tunc centuriō suppliciō praepositus condere gladium speculātōrem iubet, damnātum ad Pīsōnem redūcit redditurus Pīsōnī innocentiam; nam mīlitī fortūna reddiderat. Ingentī concursū dēducuntur complexī alter alterum cum magnō gaudiō castrōrum commilitōnēs. Cōnscendit tribūnal furēns Pīsō ac iubet dūcī utrumque, et eum mīlitem quī nōn occīderat et eum quī nōn perierat.

[5] Quid hōc indīgnius? Quia ūnus innocēns apparuerat, duo perībant. Pīsō adiēcit et tertium; nam ipsum centuriōnem, quī damnātum redūxerat, dūcī iussit. Cōnstitūtī sunt in eōdem illō locō perītūrī trēs ob ūnīus innocentiam.

[6] Ō quam sollers est īrācundia ad fingendās causās furōris! ‘Tē’ inquit ‘dūcī iubeō, quia damnātus es; tē, quia causa damnātiōnis commilitōnī fuisti; tē, quia iussus occīdere imperātōrī nōn pāruiisti.’ Excōgitāvit quemadmodum tria crīmina faceret, quia nūllum invēnerat.